

uiter, pro veritatis assertione, contra Raimundum, dicere oportuit: tametsi plura erant dicenda: sed ea consultò præterijmus. Igitur ad aliorum opiniones nos conuertemus.

Eandem cum Raimundo tueri conatur sententiam Cornelius Frangipanus gentilis suus, plausibilibus aliquantò argumentis: sed æquè ineptis ac friuolis: in quibus tamen adeò immense accissat, ut se Delphicis Sacerdotibus comparare, & Sibyllinis libris sua exæquare non vereatur. Dicit hanc stellam eandem illam esse undecimam: sed quæ à pristino suo loco in Boream 2. gradibus sit digressa, ac insuper augmentatam esse lumine. Illud simpliciter recitat, non autem probat: neque ostendit, quomodo eo motu progressam esse deprehēderit: hoc autem inconsultè ad Lunæ illuminationem accommodat. Nos quidem verum esse agnoscimus huius nouæ maiorem, quàm undecimæ, esse latitudinem: sed adijcimus hanc ab illa esse differentem, ac solo intuitu utranque discerni, & dimensione distantiarum, ac accurata animaduersione ad veterum designationem luculenter comprobari posse. Neque quispiam à nobis diuersum sentiet, cui saltem mediocriter facies Cæli, & Asterismus Cassiopeæ cognita sunt. Quòd si nulla est inter eas stellas differentia, necessariò sequeretur aut duas esse in cælo undecimas, aut falsum esse Frangipanum. Sed esto, fuerit hæc stella illa ipsa undecima, ac iuxta mentem Frangipani digressa in Boream ad duos gradus: Fateri mox Frangipanum oportebit, etiam reliquas stellas fixas, eodem motu progredi oportuisse: sed hoc falsum & futile est: ergo illud quoque. Eat igitur Frangipanus ad opiliones, aut nautas suos

Cornelii
Frangipani opinio
refutatur.